



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Bvllarii Earvmve Svmmorvm Pontificvm
Constitvtionvm Qvae Ad Commvnem Ecclesiae Vsvm post
volumina Iuris Canonici, vsq[ue] ad Sanctissimum D. N.
D. Pavlvn Papam V. emanarunt**

Quaranta, Stefano

Venetiis, 1619

H

urn:nbn:de:hbz:466:1-10793

DECRETVM EVGENII PAPÆ III. In generali Concilio Florentino, in Bulla instructionis Armenorum §. secundum Sacramentum est, in quo sic traditur.

SECUNDVM. Sacramentum est Confirmatio, cuius materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientia, & balsamo, quod odorem significat bona fama per Episcopum benedicto. Forma autem est; Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ordinarius minister est Episcopus. Et cum ceteras vinctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre, quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat. Cum enimaudissent (inquit) Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Ioannem: qui cum venissent, orauerunt pro eis, vt acciperent Spiritum Sanctum. Nōdum enim in quemquam illorum venerat, sed Baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Lo co autem illius manus impositionis, datur in Ecclesia Confirmatio. Legitur tamen aliquando, per Apostolicæ sedis dispensationem, ex rationabili, & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem, chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum, &c.

Decretum facti generalis Occumenici Conc. Trid. sess. 7. de Sacramentis, vbi de Confirmatione canone. iii. ita diffiniuit.

Si quis dixerit §. Confirmationis ordinarium ministerium non esse solum Episcopo, sed quemuis simplicem Sacerdotem, anathema sit.

Professio orthodoxa fidei a Græcis facienda iussu fel. re. Greg. Papæ xiii. edita. fo. l. 253. suora.

HABITVS CLERICALIS.

PRÆTER Summissas sciendum est, quod clerici beneficiati, & in sacris constituti tenentur incedere in habitu, & tonsura ex decreto Conc. Trid. sess. 24. de refor. cap. 6. alii vero in minoribus constituti non beneficiati cogi nequeunt Abb. in capitul. sin. de cler. coniug. sed si volunt gaudere priuilegio fori oportet, quod deferant habitum, & tonsuram, & seruiant in diuinis & etiam si sint coniugati, ex Concil. Trid. sess. 23. de refor. c. 6. & cap. 17. in fine, extat insuper hodie cōstitutio Sixti Quinti, de habitu, & tonsura per clericos seu milites beneficia vel pensiones obtinentes deferendis, & penis cōtra inobientes inflictis publicata Romæ die 18 Ianuar. 1589. incip. Cum Sacrosancta, & infra. Hac nostra perpetuo valitura constitutione præcipimus, & mandamus, omnibus, & quibuscūq; clericis non solum in sacris sed etiā in alijs minoribus ordinibus constitutis, & clericali tantum tonsura insignitis, & nedum beneficia ecclesiastica qualiacunque etiam simplicia nunc, & pro tempore obtinentibus, & in illis vel ad ea ius habētibus, verum etiam pēnsiones super quibusuis fructibus, redditibus, aut prouentibus quarumuis Patriarchalium, Primatialium, Metropolitanarum, Cathedralium,

Z 3 & alia-

& aliarum quarumcumque ecclesiarum, seu Abbatialium, Capitularium, & Conuentualium mensarum, nec non Monasteriorum, Præpositurarum, Præposituratum, Prioratum, Præceptoriarum, Hospitalium, Canonicatum, præbendarum, dignitatum, personatum, administrationum, officiorum, & beneficiorum quorumcumque ecclesiasticorum secularium, & quorumuis ordinum regularium, seu illorum distributionibus quotidianis, ac iuribus, emolumentis, & obventionibus vniuersis sibi referuata, aut fructus ipsos, prædiciaue, aut bona ecclesiastica loco pensionum sibi assignatos, vel assignata ex quacumque concessione, seu dispensatione Apostolica, percipientibus, etiam coniugatis, præsertim si ijdem clerici coniugati iuxta cõstitutionem præfati Bonifacij VIII. prædecessoris nostri in Concil. Trid. innovatam privilegijs clericalibus, vt velint, tam in Rom. Curia degentibus, quam extra eam vbi libet gentium, & locorum constitutis, vt ipsi & eorum quilibet quantumuis exempti existant, & quouis privilegio, vel immunitate gaudeant, quacumque dilatione, aut tergiversatione postposita, debeant omnino qui in vrbe præfentes fuerint, intra quindecim dies, qui vero extra montes intra quatuor menses, qui denique ultra montes constituti sunt, intra octo menses a die publicationis præsentium literarum, in Rom. Curia faciendam, tonsuram & habitum clericalem, vestes, scilicet talares, aut Milites in fra dicendi, quibus pensiones, aut fructus, aliaue bona ecclesiastica referuata sunt, suæ Militiæ conuenientem quacumque remota excubatione assumere & iugiter deferre, in futurum autem non nisi actu clericis in habitu clericali, & tonsura, & Militibus in fra dicendis in militari incedentibus suæ Militiæ propria, aut alia quacumque ecclesiastica et simplicia beneficia respectiue conferantur, aut cõmendentur, aut pensiones fructusue, aut bona ecclesiastica referuantur. Alioquin ipsos & ipsorum quemlibet, qui quo ad gestandum habitum clericalem, & militarem supradictum, lapsi huiusmodi tempore eorum vnicuique vt supradictum est, præfixo, nostris huiusmodi præcepto, & mandato, nunc & in postremum perpetuis futuris temporibus cum effectu non obediuerint, præter alias penas contra eos in scriptis, etiam quibuscumque dignitatibus, administrationibus, officijs, canonicatibus, & præbendis, ac beneficijs etiam simplicibus, & præstimonijs, per eorum quemlibet in titulum, commendam, vel alias pro tempore obtentis, nec non pensionibus, & fructibus ac prædijs bonisque ecclesiasticis huiusmodi: quocumque modo eis referuatis, vel referuandis, omnique iure sibi in eis, vel ad ea quomodolibet competentis, harum serie ex certa nostra scientia, deque Apostolica potestatis plenitudine priuamus, ac sine vlla alia monitione, citatione, iudicis, decreto, aut ministerio ipso facto priuatos declaramus, ac tam beneficia ipsa per priuationem huiusmodi vacare libere alijs conferri posse quam etiam pensiones cassatas, extinctas esse, & fore, ac fructuum, vel aliarum rerum referuationes cessare, & quemquam vterius ad illorum solutionem minime teneri, & ob non solutionem censuras & penas aliquas incurrere non posse, nec debere decernimus: ipsaque dignitates, personatus, administrationes, officia, nec non canonicatus, & præbendas, & beneficia sic pro tempore vacantia, collationi, prouisioni, & dispositioni nostræ, & Rom. Pont. pro tempore existentis, perpetuo referuamus. Statuentes sic in præmissis vniuersis, & singulis, per quoscumque iudices, & Commissarios etiam causarum Palatij, Apostolice Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cui libet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate in quavis causa, & instantia iudicari, & diffiniri debere, nec non irritum, & inane quicquid sepius super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit.

rit a tentari. Ceterum Milites, quarumvis Militiarum sub regula aliqua approbata canonicè institutarum, vel alios Rom. Cur. officiales, qui non vti Clerici, sed potius tanquam Milites iuxta priuilegia, & dispensationes Apostolicas eis in genere, vel in specie per nos aut prædecessores nostros nominatim concessa, & sub sel. rec. Pij. Papa. V. prædecessoris nostri constitutione, quæ incipit, Sacrosanctum, &c. huiusmodi priuilegiorum forsitan reuocatoria minime comprehensum, beneficia Militiæ, quam professi sunt regularia obtinent, seu pensiones super quibus suis fructibus, redditibus, & prouentibus ecclesiasticis etiam prædictarum Ecclesiarum, & beneficiorum secularium, aut fructus ipsos sibi referuatos percipiunt, aut obtinebunt, vel percipiens in futurum, siue clericali caractere insigniti sint, siue non sint: qui vero clerici sunt etiam si ab initio tempore referuationis pensionum, seu fructuum huiusmodi, regularem habitum nondum susceperint, nec militijs officiorum Rom. Cur. ascripti fuerint, sed post factas eorum cuique referuationes, ante vel post publicationem præsentis constitutionis Milites effecti exuerint, sub præcepto, & mandato præfatis de habitu, & tonsura Clericali deferendis nolumus comprehendere: sed ijs permitimus, vt regulari habitu Militiæ, quam professi sunt conuenienti, vel si ipsi Milites Rom. Cur. officiales fuerint, qui pensiones, aut fructus, aliaue prædia aut bona ecclesiastica ex dispensatione, sed priuilegio Apostolico percipiant, habitu militari supra scripto absque aliquis censura, vel pœnæ ecclesiasticæ incursu licite vti valeant, & nihilominus tam beneficia sua Militiæ regularia retineant, quam etiam pensiones super ecclesiarum, & beneficiorum prædictorum etiam secularium fructibus, seu bona, vel fructus præfatos sibi pro tempore referuatos percipiant. Non obstantibus, &c.

Hanc constitutionem declarauit, & moderauit idem Sixtus V. eodem anno pridie 11. Febr. faciendo indultum deferendi habitum non clericalem pro aliquibus S. D. N. familiaribus, & pro omnibus pensiones &c. non vltra 60. duc. percipientibus, ac prorogatio terminata ad alios xv. dies pro personis in vrbe degentibus, vt patet ex eius constitutione fol. 167. in Bull. incip. Pastoralis & infra.

Omibus, & quibuscunque clericis, tam in Rom. Cur. quam extra eam vbi liber gentium, & locorum constitutis, qui pensiones, fructus, aut prædia, vel bona ecclesiastica, sibi in vna, vel pluribus vicibus referuata, & concessa summam, seu valorem annuū sexaginta ducatorum auri de Camera in simul non excedentes, seu excedentia percipiunt, aut percipient in futurum: Ac præterea nostris familiaribus, nobis in quibusdam inferioribus ministerijs, quales sunt qui a pedibus, seu parafrenarij mensæ dispositores, aut credentarij, aut dispensatores, vulgo dicuntur, & alijs h. s. similibus seruitijs actu ministrantibus, quiue in futurum inferuient: nec non quibusvis nostrorum intimorum familiarium actu nobis in Palatio nostro Apostolico inferuentium familiaribus continuis comensalibus præsentibus, & futuris, qui pensiones, aut fructus, bonaue ecclesiastica loco pensionum, vsq; ad quancunque summam, & valorem nunc percipiunt, aut in posterum pro tempore percipient, vt ipsi & eorum quilibet in habitu, & tonsura clericali necedere minime teneantur: sed laicali habitu impune, & licite vti possint, quo sua munia promptius, expeditiusque obiri valeant, nec penis in eadem Constitutione inflictis subiaceant, auctoritate Apostolica tenore præsentium de speciali gratia concedimus, & indulgemus. Reliquis autem nostris, aut personarum nobis inferuentium familiaribus continuis comensalibus, omnibusque, & singulis alijs tã clericis, quam militibus beneficia fructuum, vel bonorum ecclesiasticorum re-

seruationes, ac pensiones obtinentibus, aut in ipsis beneficijs, vel ad ea ius habentibus in vrbe praesentibus tempus quindecim dierum in dicta constitutione praefixum, nec dum elapsum ad alios quindecim dies a fine primo dicti termini computandos extendimus, & prorogamus. Ac demum Militibus, tam Militiarum canonice institutarum, quam Roma. Cur. Officialibus, qui iuxta praefatam nostram Constitutionem Militari habitu incedere tenentur, vt vestibus communibus, cum insignibus tamen Crucis, aut Numismatis suae Militiae propriis vt valeant, aequae hac ratione ipsius Constitutionis praecipio plene satisfacere conseruantur pariter indulgemus. Eos vero clericos, aut Milites, quibus pensiones, aut fructus, bonaue aut praedia ecclesiastica ad quamcunque summam reseruata, aut reseruari concessa sunt, vel post hac reseruabuntur, non aliter ad gerendum huiusmodi habitum teneri volumus, nisi postquam pensiones, fructus, aut alia praefata cum effectu exigere, aut percipere coeperint, vel per eos steterit quominus exigant, vel percipiant. Decernentes, &c.

ADDITIO. Et ita concurrentibus his de quibus in praefato decreto Concil. Trid. sess. 14. cap. 6. consuluit Illustrissimus Dominus Ioannes Franciscus de Ponte Marchio Morconi Regens Decanus Regiam Cancellariam & de consilio sua Maiestatis Catholicae responso. 24 suorum consiliorum clericum prima tonsura remittendum esse ad iudicem ecclesiasticum & in eo quod praed. Concilium requirit, scilicet seruitium in diuinis, intellige procedere, etiam in clericis, qui deseruierit alteri ecclesiae, quam illi, cui fuit adscriptus, vel deseruierit cappella existenti in ecclesia, quae ab episcopo confraternitati laicorum pro oratorio esset assignata ex declaratione Sacrae Congreg. Secundo intellige procedere etiam in seruitio diuino, quod clericus non continuatum, sed aliquo impedimento necessario interpellatum praestiterit vt hoc non obstante gaudeat priuilegio fori, quia verba sunt intelligenda ciuili modo. l. si cui. ff. de seruitut. & Doctores tam in praem. decretal. quam sexti notent, id dico continuo fieri, quod pro maiori parte temporis fit. Tertio intellige non procedere in clerico, qui & si ministerio ecclesiastico vacaret, non tamen incederet in habitu, & tonsura, & sic vt fori priuilegio non gaudeat, idque amplius etiam si nulla precedat sui episcopi mentio ad habitum reassumendum de mente Concilij fuisse censuit Sacra Congregatio super d. c. 6. sess. 23.

Praenarrata constitutio posset limitari in casibus infra scriptis, & primo in clerico qui ex iusta causa timoris habitum clericalem postponere & transformari exegerit ex tex. in c. clerici. de vita & honest. cleric. Secundo si ratione paupertatis illum gestare non valeret ex Imol. in clem. 2. num. 9. eod. tit. Tertio, vt non priuetur clericus priuilegio clericali propter vnicam habitus omissionem, sed necessaria esset tanta perseverantia, vt publice existimeretur laicus. Prosper Farinac. in pract. crimin. tit. de inquisit. q. 8. num. 68. ex Consil. Christoph. de Castello. ab eo citato Quarto in clerico qui nequiverit tonsuram deferre propter infirmitatem Cappel. Tholos. dec. 104.

Dubium tamen est ad effectum, vt praesenti Constitutioni satisfactum videatur, & vt clerici iudicentur incedere in habitu clericali, quae vestes sint eis congruentes, seu decentes, & vere clericales, si quidem praed. Constitutio quo ad hoc nil aliud prouidet nisi circa longitudinem, & breuitatem disponendo, vt vestes sint tales, de cetero circa ipsarum quantitatem, hoc neq; per illam, neq; per alia iura canonica praesinitum seu cautum reperitur, praeterquam quod clericis certarum vestium usus interdicitur, de quibus in praed. allegatis. c. clerici. & clem. 2. & ibi Doctores, Diaz. in pract. crim. can. c. 75. Menoch. de arbit. iudic. lib. 2. centur. 4. casu. 393. & quod clerici.

clerici seculares non habebant certum & determinatum habitum testatur glo. not. in clem. 1. in fine de elect. Resp. quod in huiusmodi casu illa censentur clericis vestes honestae, & vsu, & consuetudine illius regionis seu prouinciae, ubi commorantur, ad missae fuerint, ita post glof. in c. si quis virorum 30. dist. & in d. c. clerici ver. de iuratis, alios quam plures allegantes. conclusiue tenet Couar. lib. pract. q. c. 32. sub num. 7. Jul. Clar. in pract. crim. q. 36. num. 11. Foller. in pract. crimin. in verbo audiantur excusatores, num. 41. Ignat. Lopez. ad Diaz. loc. cit. dicentes in hoc attendendam esse prouinciae consuetudinem, intellige id est similitum personarum, & clericorum eiusdem conditionis. Prosp. Farinac. loco praalleg. num. 69.

H A E R E T I C I.

PRÆTER Summistas in hoc verbo sciendum est, quod per S. D. N. Clemētem viij. fuit facta in nouatio Constitutionis fel. rec. Pauli Papae iiii. contra negantes Trinitatem, aut diuinitatem Iesu Christi, aut eius conceptionem de Spiritu Sancto, aut eius mortem, vt nos redimeret, aut Virginitatem Beatiss. semper Virg. Dei genitricis Mariae. Adiecta forma in publicatione eiusdem Constitutionis seruanda, ne de cetero illius ignorantia a quoquam quo ius praetextu possit allegari, publicata Romae die 14. Februarii 1603. tenoris sequentis.

Clemens Papa VII I. Ad perpetuam
rei memoriam.

Dominici gregis Diuina providentia nobis, licet meritis imparibus, cōmissi, sollicitudo postulat, vt Romanorum Pōtificum praedecessorum nostrorum Constitutiones, quas praesertim ad fidei catholicae integritatem conseruandam, & impios homines, ac prauarum haeresum assertores debitis poenis plectendos pertinent, in nouemus, ne qui eiusmodi errorum labe infecti sunt, earundem Constitutionum, & poenarum eis inflictarum ignoracionem villo modo praetendere, aut quavis ratione excusare posse praesumant. Cum itaque fec. rec. Paulus Papa 4. Praedecessor noster, ad quorundam hominum iniquitatem coercendam, qui non solum diuersas haereses profiteri, sed etiam ipsius fidei fundamenta negare praesumebant, suoque exemplo multos in interitum animae trahebāt, quadam sua perpetuo valitura constitutione, quae incipit, Cum quorundam hominum prauitas: vt huiusmodi homines a suis erroribus intra certum eis tunc praefixum tempus resipiscerent paterna monitione, & requisitione, nec non cum ipsorum resipisceniam a quibuscunq; censuris, & poenis ecclesiasticis, & temporalibus plenissima absolutione sanciuerit, vt quicumque tam eatenus lapsi fuissent, & inter tempus praefixum non resipuissent, quam qui in posterum prolaberentur in hos errores, aut eorum aliquem, qui nimirum esserissent, dogmatizassent, vel credidissent Deum Omnipotentem non esse trinum in personis, & incomposita omnino, indiuisaque vnitae substantiae, & vnum vnamet. simplici Diuinitatis essentia, aut Dominum nostrum Iesum Christum non esse verum Deum eiusdem substantiae per omnia cum Patre, & Spiritu Sancto, aut eundem secundum carnem non esse conceptum in utero Beatissimae, semperque Virginis Mariae de Spiritu Sancto, sed sicut ceteros homines ex semine Ioseph, aut eundem Dominum, & Deum nostrum Iesum Christum non subijisse acceptissimam.

mam crucis mortem, vt nos a peccatis, & ab aeterna morte redimeret, & Patri ad
 vitam aeternam reconciliaret, aut eadem Beatiss. Virgmem Mariam non esse ve-
 ram Dei matrem, nec perstitisse semper in Virginitatis integritate ante partum
 felicit, in partu, & perpetuo post partum, pro subuersis, & relapsis in haeresim
 liberi, & vt relapsi curia seculari tradi, & per ipsam curiam debitis poenis in re-
 lapsos statutis puniri posse in omnibus, & per omnia perinde, ac si vere, & reali-
 ter in haeresim relapsi essent, & eos relapsos esse constaret, prout in praedicta Con-
 stitutione, sub Datum Romae apud Sanctum Marcum septimo. Idus Augusti. Po-
 nificatus sui anno primo edita plenius continetur: Eo tamen huiusmodi impiorum
 hominum prorupit temeritas, vt praetextu ignorantiae huiusmodi Constitutio-
 nis, ac poenarum in eadem Constitutione inflictarum, seu illis minime subiacere
 nec obnoxios esse putent, ac propterea se ab eisdem poenis liberari, & absolui pos-
 se pretendunt. Nos igitur animaduertentes (vt idem quoque Paulus praedecessor
 bene animaduertit) huiusmodi errores tam graues, ac nefandos existeret, vt illi
 qui in eos incidunt, nullam prorsus excusationem habeant, sed subuersi poenis
 & inimanes, quam haeretici merito dici possint, propterea vt illi debita ani-
 maduersione omnino puniantur, nec a praefatis erroribus vlla excusatione
 de cetero se tueri valeant. Mou proprio, & ex certa scientia, ac matra de-
 liberatione nostra, denique Apostolica Potestatis plenitudine, hac nostra per-
 petuo valitura Constitutione, dicti Pauli praedecessoris vestigiis inhaerentes, ac
 eius constitutionem praedictam quo ad poenas in ea contentas innouantes, ac
 perpetuo confirmantes, & aperiobantes, supradictos omnes, & singulos, qui
 haecenus in similes errores, aut eorum aliquem lapsi sunt, aut in posterum
 prolabentur, a tanta dictorum errorum grauitate, & enormitate, cuiuscunque
 dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis existent, nulla illis eam ignorantia supra-
 dictae constitutione executione suffragate, pro subuersis, & relapsis in haeresim
 haberi, & tanquam relapsos Curia seculari tradi, ac per eam debitis poenis
 in relapsos statutis puniri posse, auctoritate Apostolica tenore praesentium per-
 petuo statuimus, Non obstantibus omnibus illis quae praedictus Paulus praedeces-
 sor voluit non obstat, ceterisque contrarijs quibuscunque. Vt autem huiusmodi Co-
 stitutionis ignorantia de cetero allegari, aut praetendi nunquam possit, atque vt
 praesentes omnibus innotescant, volumus illas ad valuas Ecclesiae Lateranensis, &
 Basilicae Principis Apostolorum, & in acie Campi Florae, more solito publicari, &
 affigi, atque ijs inde amotis earundem exempla, etiam impressa, ibi affixa relin-
 qui, factaque publicatione huiusmodi, omnes qui in Vrbe post mensem, qui vero
 extra eam, & citra montes, post quatuor menses, & qui demum ultra montes fuerint,
 post decem menses a die publicationis huiusmodi computandos, perinde afficere
 & arctare, ac si eorum cuilibet personaliter intimata fuissent. Et nihilominus vt
 ipsa praesentes literae eo notiores fiant, & omnibus magis innotescant, nec non
 pro potiori cautela volumus, vt Inquisitores contra haereticam prauitatem, in ijs
 ciuitatibus, terris, & locis in quibus constituti sunt, vbi vero huiusmodi Inquisito-
 res non sunt, locorum ordinarij publicationem praesentium, vt infra dicitur, fieri
 curent, ac propterea vniuersis, & singulis Venerabilibus fratribus Patriarchis, Pri-
 matibus, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum ordinarijs, nec non dilectis filijs
 Inquisitoribus praefati contra haereticam prauitatem vbi libet constituti, per easdem pra-
 sentes committimus, & in virtute sanctae obedientiae districte precipiendo mandamus,
 vt per se alium, seu alios haec nostras literas, postquam earum exemplum rece-
 perint, seu earum notitiam habuerint, semel, aut pluries prout eis magis ex-
 pedire

pedire visum fuerit, ipsi quidem Patriarcha, Primates, Archiepiscopi, Episcopi & alij locorum ordinarij in eorum Cathedralibus, maioribus respectiue Ecclesijs Ciuitatum, Oppidorum, & locorum quorumcunque eorum Diocesum, vbi Inquisitores non fuerint, vbi vero Inquisitores fuerint, ipsimet Inquisitores in eisdem Ecclesijs, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solenniter publicent, & publicari auctoritate nostra mandent, & faciant. Ceterum quia difficile foret easdem presentes ad singula loca, vbi opus deferri, volumus, & simili auctoritate decernimus, vt earum transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Inquisitori contra haeticam prauitatem, vt cuiuscunque personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem vbique in iudicio, & extra, fides habeatur, quae ipsismet literis haberetur, si essent exhibitae, vel ostensa. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Iannulo Piscatoris 3. Februarij, Die 3. Februarij 1603. Pontificatus nostri Anno vndeci-

M. Vestrius Barbianus,

Constitutio Pii V. de impediendis, & offendendis personas, ac diripientibus bona, & frangentibus carceres Officij Inquisitionis, eorumque, & filiorum, & complicum poenis publicata Romae die 2. Maij 1569. fol. 1046. in Bullar. tenoris seq.

Si de protegendis ceteris omnibus Ecclesiae ministris, quos in fidem, & clientelam nostram a Domino recepimus, cura nobis quotidiana infidet, & quanto maiore studio eam nos sollicitudinem capere necesse est, vt qui in Sacro Inquisitionis haeticae prauitatis officio versantur, sub tutela inuiolatae auctoritatis huius sedis periculorum omnium expertas, quaeque munera exaltationem fidei, catholicae exequantur? Cum itaque eius generis impiorum vis quotidie magis inualecat, qui omnibus malis artibus praedictum officium spuertere, ministrosque functionibus disturbare moliantur, eo iam nos detrusit necessitas, vt nefariam, & scelestam illorum audaciam acerbioris castigationis verberis reprimamus. Hac igitur generali constitutione de fratrum nostrorum consilio sancimus, vt quicumque siue priuatus, siue cuncta Ciuitas, siue populus, siue Dominus, Comes, Marchio, Dux, vel potiore titulo Illustris, quemuis ex Inquisitoribus, Aduocatis, Procuratoribus, Notarijs, alijsue Ministris praedicti Officij, vel Episcoporum id munus in iudicio celi, aut prouincia obeuntium, seu accusatorem, denunciatores, aut testem in causa fidei, quomocunque productum, vel euocatum occiderit, verberauerit, deiecerit, seu perterrefecerit, quaeue Ecclesias, aedes, alia foeres, siue publicas, siue priuatas officij, aut ministrorum expugnauerit, inuaserit, incenderit, expilauerit, aut libros, literas, auctoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturas, alia instrumenta, si publica, siue priuata vbicumque posita combusserit, diripuerit, seu interuerterit, seu ex incendio, aut direptione, aut alio quocunque modo illa exportaauerit, seu qui in conflagratione, expugnatione, aut direptione etiam inermis siue capiendi, siue comburendi, siue sopprimendi causa fuerit, siue res, aut personae seruari, defendere prohibuerit, quaeue carcerem, aut aliam custodiam, seu publicam, seu priuatam effegerit, vinculum extraxerit, seu emisit, capiendum prohibuerit, caprumque eripuerit, receperit, occultauerit, seu facultatem effugientem dederit, seu iusserit id fieri, qui coetum, concursus fecerint, siue vt aliquid praedictorum fieret, omnes accommodauerit, siue alias auxilium, consilium, aut fauorem publicae, vel occulte in quolibet praedictorum scienter praestiterit, licet nemo.

nemo occisus, nemo verberatus, nemo extractus, emissus, vel ereptus, nihil expugnatum, nihil effractum, succensum, direptumue, nullum denique damnum re ipsa sit secutum: nihilominus is sit anathemate presentis canonis auctoritate ligatus, idem quoque laesa maiestatis reus, dominio, dignitate, honore, feudo, ac quo cunque alio beneficio temporalis, & perpetuo eo ipso priuatus, secularis iudicis arbitrio relinquatur, qui de eo illas ipsas poenas exigit, quae damnatis primo capite dictae legis per Constitutiones legitimas irrogantur, bonis, rebusque omnibus fisci iuribus applicatis, ut etiam est de damnatis haereticis per sanctiones canonicas constitutum: eius filii paterna infamia subiecti, omnis, & cuiuscunque hereditaris successione, donationis, & legati, siue propinquorum, siue extraneorum omnino sint expertes, eisdem praeterea porta nunquam pateant dignitatum. Nemo autem expurgationem habere, aut causam ullam proponere, vel praetendere possit, qui tantum nefas in contemptum, & odium huius officii admiserit, nisi contrarium per claras probationes docuerit se fecisse. Quod porro de praedictis, eorumque filiis statuimus, illud idem de omnibus clericis, & presbyteris secularibus, & quorumvis Ordinum etiam exemptorum regularibus, & quacunque etiam Episcopali, & maiori dignitate praedictis, ac etiam privilegio quomodocunque suffulsiis, decernimus exequendum, ita ut ipsi beneficiis, & officiis omnibus Ecclesiasticis, praesentium auctoritate priuati, per iudicem Ecclesiasticum, haereticorum more degradentur, demum potestati seculari traditi, poenis praedictis laicorum instar subiciantur: Pontificum tamen causis nobis, & successoribus nostris reseruatis, ut re quaesita, & nobis renunciata contra eos ad depositionem, & alias poenas praedictas procedamus, ut criminis atrocitas videbitur postulare. Quicumque autem pro talibus veniam petere, aut alias intercedere tenterint, in easdem illas poenas, quae in haereticorum fautores a Sacris Constitutionibus inferuntur, ipso facto se noverint incidisse. Verum si quis etiam huiusmodi criminum conscius, vel affinis, siue religionis studio, siue paenitentia ductus rem adhuc incognitam retexerit, supplicio libereur. Ceterum ea omnium, & quarumcunque absolutionum rationem a praedictis criminibus, nec non habilitationum, & restitutionum etiam ad famam, & honores, ita deinceps habendam optamus, ut successores nostri nullas nisi saltem semestri post cuiusque assumptionem ad huius dignitatis fastigium excurso, ac precibus apud supremum officium inquisitionis hic institutum verificatis, concedant. Decernentes omnes, & quascunque huiusmodi absolutiones, habilitationes, & restitutiones, quae precibus sic non verificatis de cetero fient, nemini prorsus prodesse, sed nec praesentibus, nisi toto ipsarum tenore ad verbum inserto, & gratia excerta Romani Pontificis scientia facta, & propria manu subsignata ulla in parte derogari, vel derogatam censeri debere, & si illis ex quacunque causa aliter derogari contigerit, derogationes huiusmodi nullius prorsus fore roboris, & momenti. Iubemus igitur vniuersos, & singulos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, & ceteros Ecclesiarum Praelatos per vniuersum Orbem constitutos, ut per se, vel alium, seu alios praesentes literas, aut earum exempla in suis quisque Prouinciis, Ciuitatibus, diocesibus, & locis solenniter publicato, & quantum in se est, firmiter obseruari procurent, contradictores quoscunque per censuras, & poenas etiam iteratis vicibus aggraando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus &c. Ceterum omnes Orbis terrarum Principes, quibus gladii secularis potestas ad malorum vindictam est permessa, per eam, quam se tueri promisserunt fidem, obtestamur, ita suas quisque partes, siue in praestando

mini-

ministris prædictis auxilio, siue in criminum post Ecclesiæ sententiam animaduersione, interponere, vt eorum queque præsidis ministri ipsi tanti Officij vnus pro Dei æterni gloria, & religionis incremento feliciter exequantur, amplissimum a Domino præmium recepturi, quod fidei prædictæ assertoribus in æternæ beatitudinis consortio præparauit. Nulli ergo &c.

De præminetia Inquisitorum generalium hæreticæ prauitatis, ac obedientia eisdem ab omnibus præstanda.

Sanctissimus D.N.D. Pius diuina prouidentia Papa Quintus, statuit, decreuit & ordinauit, ac mandauit, vt negotia Fidei omnibus, & singulis alijs præferantur, cum Fides sit substantia, & fundamentum Christianæ religionis. Ideo omnibus, & singulis alme Vrbis, eiusque districtus Gubernatori, Senatui, Vicario Camerae Apostolicæ Auditori, quibuscunque alijs Legatis, Vicelegatis Gubernatoribus prouisciarum, & terrarum suarum Sanctitati & S. R. E. mediate, & immediate subiectarum, ac eorum Locaten. Officialibus, Barisellis, & alijs ministris, nec non alijs locorum Ordinarijs, ceterisque Magistratibus, & Officialibus, ac cuiusuis conditionis, & status hominibus in omnibus, & singulis terris, oppidis, & ciuitatibus, ac in tota Republica Christiana existent sub excommunicationis latae sententiæ ac indignationis suæ Sanctitatis & alij arbitrio suæ Sanctitatis, & Illustrissimorum, & Reuerendissimorum Dominorum Cardinalium Inquisitorum Generalium imponendis, & exequendis pœnis, vt eisdem Cardinalibus Inquisitoribus, ac eorum præceptis, & mandatis in quibuscunque Officium sanctæ Inquisitionis huiusmodi concernen. pareant, & obediant.

Reges vero, Duces, Comites, Barones, & quosuis alios Principes seculares in Dei nomine rogauit, vt eisdem Cardinalibus Inquisitoribus, eorumque Officialibus faueant auxiliumque præbeant, & a suis Magistratibus subditis auxilium præberi faciant in negotijs ad dictum Officium spectantibus. Nec non carceratos quoscunque pro quibusuis delictis, & debitis etiam atrocibus, apud dictum Inquisitionis Officium quomodolibet delatos, vel denunciatos, suspensa aliorum criminum inferiorum cognitione, ad eosdem Cardinales, & Inquisitionis carceres, ibidemque ad criminis hæresis totaliter cognitionem, & expeditionem retinendo, & postea ad eosdem Officiales pro aliorum criminum expeditione remittendos, sine mora transmittant:

CONSTITVTIO S. D. N. D. Clementis Diuina prouidentia Papæ VIII. vt Itali extra Italiam agentes, non habent nisi in locis vbi liber, & publicus cultus, siue vsus Catholice religionis existat, & quid in eis tunc facere, vel cui tate debeant. Sub Dat. Romæ die 26 Iulij 1596.

Cum sicut non sine magno animi nostri dolore accepimus, quam plures Christiani fideles ex diuersis Italie partibus, eorum patrijs, vbi uera, & Sancta Catholica, & Apostolica Religio viget, & publice prædicatur, discedentes, abeant in locinqua loca, vbi non solum hæreses impune grassantur, sed, quod peius est Catholice Religionis vsus publice interdicitur, & prohibetur: quo fit vt personæ ibi permanentes, etiam si Catholice sint, cogantur tamen, contra eorum pia desideria, sacrosanctæ Missæ sacrificio, aliisque diuinis Officijs, ac Sanctorum Sacra-

Sacramentorum perceptione, in suarum animarum discrimen diutius carere. Quare nos his, & aliis malis, & periculis inde prouenientibus, quantum cum Domino possumus, obuiare cupientes, hac nostra in perpetuum ualitura constitutione statuimus, & ordinamus, ut de cetero nullus Italus, siue mercator, siue cuiusvis alterius conditionis, uel status existat, quouis quæsto colore, prætexu, uel ingenio at deat habitare, uel domicilium tenere in ciuitate, oppido, seu loco, ubi aliqua Ecclesia cum Parocho, uel Pastore, seu Sacerdote Catholico non existat, in qua libere, sine omni periculo palam, & publice celebrari, & audiri possit Sacrosanctæ Missæ, & alia diuina officia, & conciones, ac Sacramenta Ecclesiastica ministrari, mortuorum corpora sepeliri, & cetera fieri iuxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: Ut que iidem Itali abstineant Matrimoniiis cum hæreticis mulieribus, & ab hæreticorum sepulturis, filios suos de sacro fonte leuari per hæreticos non permittant, nec ipsi vicissim hæreticorum filios nisi per Catholicum Sacerdotem Catholico more baptizentur, leuare præsumant. Medicorum quoque hæreticorum opera, necessitate cessante, & ubi adsit copia Catholici Medicorum, non utatur. Cum uero Itali prædicti ex Italia recedunt ad morandum, seu inhabitandum in partibus prædictis, id significent suis Ordinariis, uel Inquisitoribus locorum, a quibus seruo admonentur, ut in eis perpetuo Catholicam, & orthodoxam Fidem constanter retinentes, & profitentes, piam, & Catholicam vitam ducant, Dominicos, & festos dies, abstinētias, & sacra ieiunia ab Ecclesia præcepta religiose colant atque omnem hæresim, & errorem, & hæreticos schismaticos, & ab orthodoxa Fide aberrantes fugiant, & euitent, ac ut salutem singulis annis de eorum sacramentali peccatorum confessione, & Sanctissimæ Eucharistiæ perceptione per eos facta fidem, seu testimonium ipsis Ordinariis, uel Inquisitoribus in Italiam transmittant: ad quod, & nos dictos Italos, tenore presentis teneri, & obligatos esse decernimus, & mandamus. Quod si quis propriæ salutis immemor, contra præmissa facere præsumperit, possit aduersus eum per locorum Ordinarios, & Inquisitores hæretice prauitatis, ut de hæresi suspectum procedi. Non obstant, &c.

Declaratio, & constitutio quod sententia in reorum inquisitorum fauorem, per quoscunque iudices contra iurisdictionis dispositionem, uel stylum officij Sanctissimæ inquisitionis lata, & ferenda, numquam transferint, nec in futurum in rem iudicatam transire possint.

Pius Papa V.

MOTU proprio &c. Inter multiplices curas, quæ animam nostram assidue pulsant, illa in primis est, prout esse debet, ut Ecclesia Dei nobis ex alto commissa, purgatis, immo quantum fieri potest procul exterminatis omnibus hæresibus, & prauis erronearum opinionum dogmatibus, tuto militare, & tanquam nauis in tranquillo mari, sedatis omnibus tempestatum fluctibus, & procellis, secure nauigare, & ad optatum salutis portum peruenire possit. Cum itaque nos, dum in minoribus constituti Sanctissimi officij Romanæ, & uniuersalis contra hæreticam prauitatem inquisitionis negotia pertractaremus, tandem ex longo
vsa,

vfu, atque experientia rerum magistra cognouerimus, quod multi rei delati, & in
 prædicto sanctissimo officio, seu alibi coram locorum ordinarijs, & hæreticæ praui-
 tatis inquisitoribus processati, ac de hæreticæ prauitate inquisiti, falsos testes
 ad eorum defensionem examinari faciendo, ac compurgatorum de eorum vita, &
 doctrina minime informatum opera, & testimonio se iuantibus, ac diuersis
 alijs illicitis modis, excogitatisque dolosis excusationibus, & malitijs prædictum
 sacrum officium Sanctissimæ Inquisitionis, ceterosque iudices, & etiam Romanos
 Pontifices deludendo, & decipiendo, plures etiam veluti innocentes diffinitiuas
 a prædictis processibus, & inquisitoribus absolutorias, & præcedente cano-
 nica purgatione eorum assertæ, bonæ, & catholicæ fidei, vitæ, & doctrinæ declara-
 torias sententias, seu decreta ab eodem sanctissimo Officio, aliisque locorum or-
 dinarijs siue delegatis, & inquisitoribus, ac etiam Rom. Pont. prædecessoribus
 nostris obtinuerunt, seu extorserunt, quas sententias, & decreta præfati Romani
 Pont. etiam cum perpetui silentij impositione, ac inhibitione, ne dictum sanctis-
 simum Officium, aut alii inquisitores ad vltiora procedere possent, seu debe-
 rent, nec non etiam cum causarum auocatione ad solum Romanum Pontificem
 sub cuius protectione submittebatur, aliisque derogatorijs derogatorijs, &
 efficacissimis clausulis, ac etiam irritantibus, & alijs decretis etiam in forma gra-
 tiuosa ampliando, per varios, & varias eorum Motus proprios, ac etiam sub plum-
 bo, vel annulo piscatoris expeditas literas, etiam in consistorio, seu consistorialiter
 emanatas, confirmarunt, vnde eueniebat, quod prædicti rei inquisiti sub ve-
 lamine, & tutamine prædictarum sententiarum declaratoriarum, & literarum
 Apostolicarum, & præsertim vigore clausulæ inhibitoriæ contra inquisitores fa-
 ctæ confidentes, clam, & etiam aliquando palam in antiquis eorum erroribus
 contra fidem catholicam perseverando, numquam ad gremium Ecclesiæ vere re-
 dibant, immo cum alijs secure, & tanquam catholici conuersando, eorundem
 aliorum animos corrumpere, & inficere, ac in suas hæreticas opiniones trahere
 de facili potuerunt, in totius Reipublicæ Christianæ non modicum scandalum,
 & præiudicium, prædictorumque delatorum animarum perniciem, & iacturam
 nos huius scandalo adeo periculoso, & cõtigiioso obuiare, dictarumque animarum
 salutem consulere, & providere, omnemque iuris peritorum dubietatem, & alterca-
 tionem, ac quæcumque impedimenta, & obstacula, propter quæ sancta inquisitio
 hæreticæ prauitatis quomodocumque, & qualitercumque impediretur, vel retarda-
 retur, tollere volentes, Motu simili, & ex certa nostra scientia, ac de apostolica po-
 testatis plenitudine, in primis omnes, & singulas, ac quoscunque literas Apostoli-
 cas sub quacunque verborum forma, etiam in prædictis, ac quibusuis alijs causis
 hæresis, etiam motu proprio, & cet. ac etiam consistorialiter, &c. & alias quomo-
 dolibet emanatas, nec non etiam desuper signatas Motuum propriorum, & a-
 lias schedulas quasilibet ad ius, & Iustitiã, ac iuris terminos reducentes, nec non
 fisco prædicti Sancti officij inquisitionis, & aliorum ordinariorum, & delegato-
 rum iudicium aduersus prædictas literas inhibitiones, ac etiam derogatorijs
 derogatorias, aliasque clausulas quasilibet os aperientes, & quatenus iurisdic-
 tionis dispositioni, vel stylo dicti officij sint contraria, illas penitus, & perpetuo reuo-
 cantes, hac nostra perpetua, perpetuoque valitura vniuersali constitutione, om-
 nes, & singulas, & quascunque etiam ex capite assertæ innocentia absolutiones
 vel etiam præcedente canonica purgatione, sub quacunque verborum forma de-
 claratorias sententias, etiam diffinitiuas, & decreta, in eorundem reorum in-
 quistorum, & delatorum fauorem per prædictum Sanctissimum officium, aliisque
 iudices.

iudices ordinarios, & delegatos, ac etiam Roman. Pontifices latas, & lata, ac in
 futurum per nos etiam, & successores nostros Rom. Pontifices pro tempore existi-
 tes ferendas, & ferenda, numquam fecisse, nec in futurum posse facere transitum
 in rem iudicatam, Apostolica auctoritate declaramus, decernimus, statuimus, &
 ordinamus, praefatisque sententijs, & decretis, & quantumcunque per literas A-
 postolicas, etiam in forma gratiosa, etiam iteratis vicibus, ac etiam a Pluri-
 bus Romanis Pontificibus, emanatis, confirmatis, vel confirmandis, cum
 praedictis, vel alijs quibuscunque etiam derogatoriarum derogationis, ac
 etiam irritantibus, alijsque clausulis, & decretis. nec non inhibitionibus, ac
 etiam canonicis Sanctionibus, quorum omnium, & singulorum, aliorum-
 que praemissorum, & inde sequutorum tenores, ac si de verbo ad verbum in serere-
 tur, praesentibus haberi volumus pro expressis, ac totaliter insertis, ceterisque, in
 contrarium facientibus quibuscunque non obstantibus, per praedictum Sanctum
 officium sanctae inquisitionis, ac dilectos filios modernos, & pro tempore exi-
 stentes. S. R. E. Cardinales haeretica prauitatis inquisitores, & super dicto officio
 nunc, & pro tempore deputatos, contra eosdem reos delatos, & inquisitos, etiam
 si fuerint, & sint episcopi, Arch. episcopi, Patriarcha, Primates. Eiusdem. S. R. E.
 Cardinales legati, etiam de latere, Comites, Barones, Marchiones, Duces, Reges,
 & Imperatores, tam de antiquis, quam nouiter etiam super eisdem articulis receptis
 vel recipiendis testibus, alijsque argumentis, Probationibus, & iudicijs iuxta fa-
 cultates eisdem Cardinalibus inquisitoribus, per nos, & quoscunque praedecesso-
 res, & successores nostros Roman. Pontifices pro tempore existentes, ac Sede A-
 postolicam quomodolibet concessas, & datas, ac in futurum respectue dandas,
 & concedendas, denuo inquiri, & procedi posse, & debere, etiam in omnibus, &
 per omnia perinde, ac si praedictae sententiae, decreta, & literae Apostolicae, ac etiam
 canonica purgationes, in praedictorum reorum delatorum, & inquisitorum, etiam
 Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, Primatum Cardinalium, le-
 gatorum, Comitum, Baronum, Marchionum, Ducum, Regum, & Imperatorum
 fauorem non emanassent, nouis praesertim superuenientibus iudicijs eiusdem,
 vel alterius speciei haeretis tempus praeteritum, etiam respicien, vel ubi appareret
 per aliqua iudicia, quod illiusmodi prius ipse delatus, vel inquisitus fuisset
 absolutus, eadem Apostolica Auctoritate volumus pariter, & mandamus. Conce-
 dentes eisdem Cardinalibus inquisitoribus, & super dicto sacrosancto inquisitio-
 nis officio, nunc, & pro tempore deputatis, plenam, liberam, amplam, & omni-
 modam facultatem, potestatem, & auctoritatem, causas huiusmodi etiam aucto-
 ritate oecumenici vniuersalis Concilii Tridentini decisas reuidentis, ac in statu,
 & terminis, in quibus ante praedictas sententias, & decreta, ac etiam canonicas
 purgationes quomodolibet reperiebantur, reassumendi, sineque debito terminan-
 di, prout in alijs causis pendentibus indecisas per eosdem Cardinales inquisitores
 iuxta eorum facultates fit, fierique potest, & consuevit. Et insuper, vestigijs fel.
 Rec. Pauli Papa III. praedecessoris nostri in haerendo, constitutionem alias con-
 tra haereticos, & Schismaticos, per eundem Paulum Praedecessorem, sub data vide-
 licet Romae apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominice 1558. quinto
 decimo Kal. Martii Pontificatus sui anno quarto editam tenore praesentium reuo-
 camus, & etiam confirmamus, illamque inuolabiliter, & ad vnguem obseruari
 volumus, & mandamus iuxta illius seriem, atque tenorem, & sic in omnibus, &
 singulis supradictis censerem, ac ita per praedictos, & quoscunque iudices & cet.
 sublata & cet. iudicari & cet. debere. Irritum & cet. perpetuo decernimus, & de-
 claramus,

nimus, & declaramus, non obstantibus præmissis, ac regula nostra de non tollendo iure quæsito, & quibusvis aliis Apostolicis, vniuersalibus, provincialibus, & Synodalibus Constitutionibus, ordinationibus, nec non etiam iuramento, & ceteris, roboratis statutis & ceteris. Priuilegijs quoque, indulgentijs, & prædictis, ac alijs literis, & etiam Motibus proprijs quibuslibet, etiam præfatis reis, & inquititis, etiam episcopis, & ceteris, ac imperatoribus etiam absolutis, & quibusvis alijs personis in genere, vel in specie sub quibuscunq; tenoribus, & ceteris, ac cum quibusvis etiam derogatorijs derogatorijs, aliisque clausulis, ac etiam irritantibus, & alijs decretis, ac etiam pœnalibus inhibitionibus, etiam motu proprio, & ceteris, ac consistorialiter, & ceteris, & alias in contrarium quomodolibet concessis & ceteris, in posterumque concedendis & ceteris, quibus omnibus, etiam si de illis, & ceteris, eorum tenores & ceteris, latissime hac vice derogamus, ceterisque contrarijs quibuscunq; cum clausulis opportunis.

Fiat motu proprio. M.

Et cum absolute a cen. ad effectum, & ceteris, & de reductione, & ceteris, renouatione singulis declaratione, decretis, statuto, ordinatione voluntaribus, mandatis, cõcessione, renouatione, cõfirmatione derogatione, aliisque præmissis, vt supra in forma gratiosa perpetuo, & ad perpetuam rei memoriã, & quod post quã præsentis, seu desuper forsan conficienda litera per aliquem, vel aliquos ex cursoribus nostris in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellaria Apostolica valuis, ac acie campi Floræ affixæ, & publicata fuerint, omnes prædictos etiam episcopos & ceteris, ac Imperatores, & alios quorum interest afficiant, & arctent, perinde ac si eis personaliter intimatæ, & insinuata fuissent, ac vim, & efficaciam solennis, personalis, valida, & peremptoria monitionis, & citationis habere, omnesque ligare habeant, & quod præsentis nostri motus proprijs sola signatura sufficiat, & vbiq; fidem faciat in iudicio, & extra, regula contraria non obstante, & nihilominus si videbitur litera desuper, etiã per Breue nostrum, aut officium contradictarum simul, vel ad partem expediti possint, & quod præsentium, seu desuper conficiendarum literarum transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarij publicis subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ aut curiæ ecclesiasticæ munitis, eadem prorsus fides adhibeat, quæ ipsis Originalibus adhiberetur si exhibite forent, vel ostensa.

Fiat. M.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Duodecimo Kal. Ianuarii. Anno primo.

Anno a Natiuitate domini 1567. indictione decima, die vero lunæ trigesima mensis Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Pii diuina providentia Papæ V. anno primo, superscriptus motus proprius affixus, & publicatus fuit ad valuas principis Apostolorum Beati Petri de Vrbe, Cancellaria Apostolica, ac in acie campi Floræ dimissis ibidem eiusdem copijs affixis, vt moris est, per nos Ioannem Gerardi, & Christianum de monte Prælibati Sanctiss. D. N. Papa cursores Stephanus de Olea magister cursorum. Registrata in lib. secretorum fol. 51.

G. S. Sarde.

Aa S. D. N.

S. D. N. Pauli Papæ V. Constitutio, qua reuocantur facultates, Superioribus quorumcumque ordinum concessæ, cognoscendi causas suorum subditorum, ad officium Sanctæ Inquisitionis pertinentes.

Paulus episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam
rei memoriam.

Romanus Pontifex ea interdum, quæ a prædecessoribus suis temporum, & rerum qualitate tunc exposcente prouide pro hæresum extirpatione sancita sunt, nouis emergentibus rationibus reuocat, & immutat, aliaque desuper disponit, & ordinat prout in Domino salubriter conspicit expedire; Dudum siquidem fel. rec. Pius Papa Quartus prædecessor noster, sua perpetuo ualitura Constitutione, statuit, ordinauit, & declarauit quod ex tunc deinceps in omnibus Christiani Orbis partibus Inquisitores hæreticæ prauitatis, tam generales, quàm in quibusuis Prouincijs, ciuitatibus, oppidis, Terris, & locis pro tempore deputati particulares, contra omnes quorumcumque ordinum, etiam exemptorum, etiam mendicantium professores, & Religiosos, ac etiam alios quoscumque quouis modo priuilegiatos, & exemptos de hæretici crimine quomodolibet suspectos, aut culpabiles, dummodo ab eorundem professorum, & Religiosorum superioribus, vel prælatis in causis huiusmodi præsentibus non fuissent, iuxta facultates officij inquisitionis ipsius prauitatis inquirere, & procedere, ac culpabiles, & delinquentes repertos secundum canonicas sanctiones castigare, atque punire possent, & valerent, ac alias prout in literis ipsius Pij prædecessoris latius continetur. Cum autem rerum usu compertum sit, occasione præuentionum huiusmodi nonnulla interdum impedimenta orta esse, quominus causa huiusmodi ea, qua decet diligentia cognoscantur. Nos de consilio Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium contra hæreticam prauitatem generalium Inquisitorum illa de medio tollere volentes, motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac matura deliberatione, hac nostra etiam perpetuo ualitura Constitutio ne omnia, & quæcumque priuilegia, indulta, facultates, & concessionem Generalibus, superioribus, & prælatis, quorumcumque ordinum, siue Mendicantium, siue Clericorum Regularium cuius uis ordinis, & instituti, etiam in dicta Constitutione non expressum, & quantumuis exemptorum, & quocumque nomine nuncupentur per dictum Pium, ac quoscumque Rom. Pont. Prædecessores nostros, & Sedem Apostolicam concessa, approbata, & innouata, & quantumuis, etiam longissimo tempore obseruata, causas ad dictum officium quouis modo spectantes cognoscendi, & terminandi, seu in illis quoque modo se intromittendi, quorum omnium, & singulorum tenores, etiam si de illis specialis, & expressa mentio habenda esset, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo cassamus, reuocamus, & abolemus, ipsisque Generalibus, Superioribus, & prælatis, ut de cetero quouis quæsito colore, vel prætextu præuentionis, vel consuetudinis, & prescriptionis immemorabilis, seu cognoscendi, an delationes huiusmodi calumniosæ sint, nec ne, in eisdem causis, tam motis, quam inuendis, quoquomodo se intromittere, seu immiscere, denunciationes recipere,

cipere, testes examinare, processus conficere, causas ipsas cognoscere, definire, vel terminare minime audeant, seu præsumant, simili auctoritate districtius inhibemus volentes, & expresse mandantes, ut ipsi Religiosi possint, & debeant omnes, etiam Ordinum huiusmodi professores, de hæresi suspectos Inquisitoribus, vel ordinariis locorum vicinioribus libere denunciare, absque eo, quod superiores prædicti personas denunciandas, & causas perquirere, vel quoquomodo id impedire, vel retardare audeant, seu præsumant. Insuper omnes, & quascunq; causas ad dictum officium quomodolibet spectantes, & pertinentes coram Generalibus, Superioribus, & prælatis huiusmodi, in quibuscunq; locis existentibus, ac contra quoscunq; Religiosos, ut præfertur, exēptos mortas, & pendentes ad nos harum serie auocamus, easque omnes in statu, & terminis, in quibus de præfenti reperiuntur ipsius prauitatis inquisitoribus, vel ordinariis locorum vicinioribus, terminandas committimus. Præterea ipsis Generalibus Superioribus, & Prælatibus pari auctoritate præcipimus, atque mandamus, ut omnes processus, & acta causarum huiusmodi Inquisitoribus, seu ordinariis prædictis respectiue remittant, & consignent; nec non professores, fratres, & Religiosos supradictos, quos hæresis labe infectos, vel suspectos, etiam in visitatione esse nouerint, absque alia consultatione cum propriis superioribus facienda, eisdem inquisitoribus, vel ordinariis locorum vicinioribus respectiue denuncient; quod si Generales aliiq; prædicti presentibus literis non paruerint, eos omnes priuationis quarumcunq; dignitatum, seu prælaturarum, vel officiorum suorum ordinum, ac vocis actiue, & passiue, perpetuæque inhabilitatis ad easdem, nec non contra fautores hæreticorum, & impeditores officii statutas, & inflictas pœnas aliasque censuras ecclesiasticas, etiam excommunicationis maioris lata sententiæ a qua non, nisi a nobis, vel a Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo absolutionis beneficium valeant obtinere, eo ipso incurrisse, nec non presentes literas, licet Generales, Superiores, & Prælati prædicti, aut quicumque alii, quauis auctoritate, dignitate, vel officio, seu honore fulgentes, in præmissis quomodolibet interesse habentes, vel habere prætedentes ad hoc vocati non fuerint, semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, suosq; plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus inuiolabiliter obseruari, sicq; per quoscunq; Iudices, & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri, debere irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus, & declaramus. Non obstant. prædictis, ac quibusuis aliis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non ordinum, & institutorum quorumcunq; iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & cōsuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, etiam Mare magnum, vel alias quomodolibet nuncupatis eisdem ordinibus, eorumque Generalibus, Superioribus, & Prælatibus, ac personis, etiam per quoscunq; Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac sedem prædictam, & per nos quouis modo cōcessis, cōfirmatis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus, ac aliis omnibus, quæ presentibus, quomodolibet obstare possent etiã si de illis, eorūq; totis tenoribus, specialis, specifica, & expressa, ac indiuidua, & de verbo ad verbū, non autē per clausulas generales idē importantes mentio seu quauis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum tenores, pro plene, & sufficienter presentibus expressis, & totaliter in

fertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrarijs quibuscunque, vt autem presentes literę ad omnium notitiam deducantur, neue aliquis ignorantiam earum pretendere, aut contra eas se excusare valeat, illas in valuis, S. Ioann. Lateranen. & principis Apostolorum Basilicarum de vrbe, nec non Cancellarię Apostolicę, ac Acie Campi Florę de more affigi, & publicari, earumque exempla inibi, affixa dimitti, ac post publicationem huiusmodi, omnes, & singulos quos concernunt, & concernent in futurum perinde ardeant, & afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intima te fuissent, quodque earum transumptis etiam impressis Notarij publici manu subscriptis, & sigillo alicuius Pręlati, seu personę in dignitate ecclesiastica constituta munitis, eandem prorsus fidem in iudicio, & extra, vbique gentium, & locorum adhiberi volumus, & mandamus, quę eisdem originalibus literis adhiberetur, si essent exhibitę, vel ostensa, & nihilominus, vt ad maiorem notitiam singulorum, & quorumcunque Religiosorum prędictorum pręsentes deueniant, etiam volumus, & in virtute Sanctę obedientię pręcipimus, & mandamus, Generalibus, Superioribus, & Pręlati prędictis, vt in primis proximis futuris Capitulis, seu Congregationibus Prouincialibus, vel generalibus cuiuscunque Prouincię, tam in Italia, quam extra, pręsentes nostras literas legi, & publicifaciant, & procurent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę cassationis, reuocationis, abolitionis, inhibitionis, mandatorum, auocationis, commissionis, pręceptorum, Decreti, Declarationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, eius se nouerit incursum. Datum Romę Apud S. Marcum anno in carnationis Dominicę 1606. Kal. Septembris Pont. nostri anno secundo P. Prodat. Registrata apud Scipionem Secretarium. Scipio Cobellutius. S. De Vrfinis. Anno a Natiuitate. D. N. Iesu Christi 1606. indictione 4. Pont. autem. Sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. Pauli Diuina Prouidentia PP. V. anno secundo, die vero tertia mensis Octobris, suprädictę literę Apostolicę affixę, & publicatę fuerunt ad valuas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellarię Apostolicę, ac in Acie Campi Florę, vt in oris est per me Io. Baptistā Menochium, eiusdē Sanctiss. D. N. Papę, & Sanctissime inquisitionis Cursorem Romę ex Typographia Rerum Camerę Apostolicę; M. D. C. V. I.

Regulares recurrentes ad Sanctum officium vt in eo testimonium perhibeant non grauentur a suis Superioribus Die 17. Augusti 1567.

Sanctissimus D. N. Pius Papa Quintus in generali congregatione Sancti officij, consulens libertati ipsius Sancti officij, & indemnitati recurrentium ad illud, vel in eo testimonium Perhibentium statuit, & decreuit, vt regulares quorumuis, etiam mendicantium ordinum personę quę pro tempore ad officium Sanctę inquisitionis pro quocunque fidei negotio recurrerint, seu confugerint, vel in eo testimonium perhibuerint veritatis, aut alia quomodolibet deposuerint, nequaquã a suis superioribus per quinquennium cõtinuum a die recursus, seu depositionis huiusmodi molestari, vel ex quacunque causa, vel excessibus pręsentis personarum istarum, & de debitis propterea pœnis, seu pœnitentijs eis eisdem imponendis, nisi ipsi Illustrissimi Cardinales inquisitores generales certiores facti fuerint vel eis aliter clare notificatum, & ab ipsis Cardinalibus, de super responsum fuerit.

Ita habetur inter decreta Sancti officij in fine iudicia inquisi. Romę Impress. anno 1570. fol. 476.

HORAE CANONICAE.

PRÆTER Summissas in hoc verbo sciendum est, contra beneficiatos non recitantes horas Canonicas extare decretum Concilii Lateranen. vltimi sub Leone 10. fol. 194. in Bullar. tenoris seq.

Statuimus quoque & ordinamus, vt quilibet habens beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio, diuinum officium non dixerit legitimo impedimento cessante beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis, officii, & temporis, sed eos tanquã iniuste perceptos in fabricas huiusmodi beneficiorum, vel pauperum elemosynas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permãserit, legitima monitione præcedente, beneficio ipso priuetur, cum propter officium detur beneficium. Intelligatur autem officium omittere, quò ad hoc vt beneficio priuari possit, qui per quindecim dies illud his saltem non dixerit, Deo tamen ultra præmissis de dicta omissione reddituri rationem, quæ pœna in habentibus plura beneficia reiterabilis totiens sit, quotiens contrafacere conuincatur.

Quod decretum fuit innouitum, declaratum, & actum per Pium V. qui edidit statutum de fructibus, quos amittunt, qui horas canonicas non recitant, Roma datum sub die 12. kal. Octob. 1571. fol. 1134. prout sequitur.

Ex proximo Lateran. Concilio pia & salubris sanctio emanauit, vt quicumque habens beneficium ecclesiasticum, cum cura, & sine cura, si post sex menses, quã illud obtinuerit, diuinum officium legitimo cessante impedimento non dixerit, beneficiorum suorum fructus, pro rata omissionis officii, & temporis, suos non faciat, sed eos tanquam iniuste perceptos, in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum elemosynas, erogare teneatur. Veruntamen multorum animi suspensione tenentur, cuiusmodi rata prædictæ ratio sit habenda. Nos huic rei euidentius atque expressius prouidere volentes, statuimus, vt qui horas omnes canonicas, vno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, & quotidie diuiderentur, qui vero matutinum tantum, dimidiam, qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam, qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei, amittat; tamen si aliqui choro addictus non recitans omnib. horis canonicis cum aliis præsens, adsit, fructusque, & distributiones forte aliter assignatas, sola præsentia iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel alias sibi iure fecisse pretendat. Is etiam præter fructuum, & distributionem amissionem, item ille, qui primis sex mensib. officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusauerit, graue peccatum intelligat admisisse. Declarantes præstimonias, præstimoniales, portionales, portiones, & qualiaquæ alia beneficia, etiam nullum omnino seruitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter conueniri. At quicumque pensionem, fructus, aut alias res ecclesiasticas, vt clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium paruum Beatae Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium. Nulli ergo &c.

ADDITIONE. Ad quorum statutorum ornatum, & declarationem videndi sunt Domin. a Soto lib. 10. de iust. & iur. q. 5. art. 6. Nauar in man. cap. 25. nu. 122.

200010

Aa 3 & seq. 11

& seq & de orat. & horis canon cap. 7. num. 31 & infra, & in conf. 22. & 14 de celebr miss in antiq Symanc. de cathol institut titul 9. num. 208. Ignat. Lopez, ad Diaz. in pract crim. can. cap. 53. auctor. Cateches. Neap. lib. 4. a cap. usque ad. 7. Menoch. de arbitr. iudic. lib. 2. cent. 2. cas. 429. iunctis his, quæ dicit in addit. nouissime impressis ad præd. casum. 429. quo in loco non admittit, nec recipit opinionem Nauar. (in quam fere omnes conueniunt) afferentis clericum omittentem recitare horas canonicas intra primos sex menses a die habiti beneficii non teneri ad fructuum restitutionem licet mortaliter peccet. ipse tamen conclusiue tenet quod cum primum quis habet beneficium quacunque horarum omisso illum ad fructuum restitutionem obligat & mouetur ratione, quia tales fructus dantur loco mercedis operæ & laboris, ut habetur Numer. 318. ubi Filius Leui dedit omnes decimas Israel in possessionem pro ministerio quo seruiunt mihi in tabernaculo faderis, & qui non laborat non manducat. 2. Thessalonic. cap. 3. & tunc an ipse clericus possit se componere cum suo episcopo, & superiore pro hac pœna ad eius arbitrium, & voluntatem adde Sor. loc. superius citator. qualiter vero illa rata fructuum de qua in Constitutione Pij V. sit restituenda scilicet an pro aliqua parte vel in totum vide Card. Toled. in sum. lib. 2. sub cap. 12. & Henriquez in sum. lib. 13. de excommunic. cap. 13. sub num. 2. & ut cessent pœnæ de quibus in prænar. statutis quæ sint in ista causa excusantes recitatione horarum post Nauar. in man. cap. 25. num. 100. & seq. & latius illas discutientem de orat. & hoc canon. cap. 11. per totum breuiter & sub compendio illas recensent Menoch. in præalleg. addit. ad casum 429. & Toled. in præd. lib. 2. cap. 14. sub rubr. de causis excusantibus ab officio persoluedo & de tempore horarum canonicarum adest insignis tractatus Marcelli Franco lini presbyt. & Doct. Bodiani.

Præterea sciendum est, quod Sacra Congregatio censuit canonicos collegiata omnino esse ad residendum, atque ad horas canonicas statis horis recitandas compellendos nisi collegiata esset ruralis ac desinituta, in qua antea nunquam supra memoriam solitum sit residere. & canonicos non habentes aliumde unde uiuant alere non posset, & nisi huiusmodi qualitates in ea collegiata simul concurrant, canonicos ad ad incunctanter compelli debere. & tægant rescriptum Domino episcopo Sarnensi.

Quando vero canonicus non residens ex iusta causa possit percipere fructus, & quas distributionis vide infra in verbo Residentia.

ILLEGITIMI.

PRÆTER Summissas in hoc verbo sciendum est, quod illegitimi sunt inhabiles ad ordines, Beneficia, ad successionem bonorum, & ad ingressum religionis.

De ordinibus, & beneficijs habetur in titulo de filiis presbyt. in decre. & in 6. & quantum ad ordines remanet in antiquum intactum ut dicam infra in verbo ordo. Sed in beneficijs de iure antiquo per Constitutionem Alex. 3. poterat succedere mediate tamen per Clem. 7. fuit reuocata in anno 1533. incip. Ad canonum conditorem. fol. 339. in Bull. tenoris sequentis.

Clemens.